

IOANNES MULINVS LVDIMODERATOR SALISBVR-

gensis.



IOannes ille ex uico Bellesfraydt, tribus miliari-
bus à Patauiæ inferioris Bauariae urbe, natus est
anno 1502. Is à pueris bonis authoribus incubuit, &
magnam eruditio[n]em sibi acquisiuit. Fuit enim Græ-
cæ & Latinæ lingua[rum] doctissimus, præterea Poëti-
ces studiosissimus. Hic cum uirilem ætatem natus
esset, sese Salisburgū contulit, atq[ue] ibidem sub Car-
dinale Matheo bonarum artium scholam instituit.
Itaq[ue] multi nobiles, hinc inde ex locis finitimi[s], ad
eum confluxere, quos ipse optimè educauit, & ad
honesta officia præparauit. Cum autem Mulinus
quasdam sacerdotum superstitiones taxaret, uicissi-
sim ipse illorum odium incurrit. Verūm hæc par-
uipendens, se domi suæ continuit, atq[ue] suos discipulos instruxit. Hac ratione
cum magna laude per annos 32 perrexisset, tandem 14 Ianuarij, ætatis anno 60,
salutis uero 1562 obiit, atq[ue] in cœmiterio Salisburgi ad murum sepultus fuit, cū
tali adiecto Epitaphio, quod ipse sibi uiuens confecerat, id quod ex Barbaræ
derelicta uidua intellexi, cum 1565 Salisburgi essem.